



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Cap. V. De Obligationibus Personarum Judicialium vel Forensium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

quia se reddunt ineptos ad munus suo statui
conueniens in posterum ritè obeundum:
tum quia vita otiosa est fons & origo multo-
rum peccatorum, præsertim adolescentibus.
Quare non sunt absolvendi, nisi negligentiam
suam emendare curaverint.

CAPUT V.

*De Obligationibus Personarum Judicialium
vel Forensium.*

*In his generatim requiruntur Scientia, Diligentia,
Veritas, Fidelitas, & Justitia.*

NOTA. Qui Officium aliquod ad aliorum
commodum spectans suscipit, tenetur ex
justitia 1. Ad curandum, ut suâ negligentia
nemini damnum sequatur. 2. Ad procuran-
da commoda ejus, cui per officium servit, sal-
tem quantum commodè potest; & ad dili-
genter obeunda ea, quæ ad tale munus spe-
ctant, & necessaria sunt ad finem, ad quem in-
stitutum est: nam hæc tacitè promittit & ad ea
se obligat, hoc ipso, quòd tale munus assu-
mit; & ideo stipendium ei datur. Hinc si
munus suum negligat, tenetur damna inde se-
cuta refarcire, & stipendium acceptum resti-
tuere pro negligentia.

§. I.

De Judice.

Q. I. **A**D quid tenetur Judex, ut rectè judicet?

Resp. I. Judex (idem dic de Advocato, Medico, &c.) tenetur ex justitia habere scientiam sufficientem ad munus suum rectè obeundum: nam tenetur ex justitia rectè judicare. *Diligite justitiam, qui judicatis terram, Sap. I.* Ergo tenetur etiam ad ea quæ ad rectum judicium requiruntur, qualis est scientia legum, consuetudinum, &c. debet etiam habere constantiam ac virtutem ad hoc munus necessariam: alioqui se exponit periculo injustè judicandi. *Noli querere fieri judex, nisi valeas virtute irrumperè iniquitates: ne fortè extimescas faciem potentis, & ponas scandalum inæquitate tua. Eccli. 7.*

Hinc 1. petens aut suscipiens officium Judicis sine sufficienti scientia & idoneitate, peccat mortaliter: nam voluntariè exponit se periculo malè judicandi, cum damno aliorum. 2. Judex debitâ scientiâ carens absolvi non debet, nisi se officio abdicet, vel nisi brevi tempore. Scientiam sufficientem acquirere possit & conetur: nam nulli licet officium, cujus munia obire nequit, suscipere vel retinere, præsertim cum damno vel periculo proximi. 3. Si judex ex imperitia magna malè judicet,

quamvis putet se rectè judicare, tenetur compensare totum damnum inde litigantibus obveniens, sive in substantia litis, sive in supervacaneis impensis: nam est causa injusta talis damni, quod est ei voluntarium saltem indirectè, nempe in ignorantia culpabili, exc. ult. *de injur.* ibi: *Si culpa tuâ datum est damnum, vel injuria irrogata, aut hac imperitiâ tuâ sive negligentia evenerunt, jure super his satisfacere te oportet: nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere vel jacturam.*

Resp. II. *Ex communi.* Ut judex rectè judicet, præter scientiam, debet 1. Habere jurisdictionem & auctoritatem in personas judicandas, & in causam: alioqui injuriam facit tum partibus, causæ illarum se ingerendo; tum legitimo Judici, ejus potestatem & officium usurpando: quæ usurpatio judicii ex communi æstimatione hominum est injuria gravis ex genere suo, cum per illam violetur & jus privatorum & auctoritas publica. Imò ejus sententia est irrita, cum careat potestate ad judicandum necessaria, cap. 4. *de Judic.* & cap. 4. *de Pœnit.*

Porro quatuor modis potest quis habere potestatem judicandi aliquem. 1. Ratione potestatis ordinariæ vel delegatæ. 2. Ex consensu partium, ut cum partes ex compromisso se alicui subjiciunt ut Judici, vel ut arbitro. 3. Ratione delicti in suo territorio patrati. 4. Ratione

Ratione rei de quâ contra possessorem causa moveretur, ex c. ult. *de Foro compet.*

2. Tenetur iudex habere certitudinem saltem moralem in cognitione causæ alioquin imprudenter iudicaret; & teneretur ad restitutionem, si ex negligentia cognoscendi male iudicaret, ex c. ult. *de Injur. cit.*

3. Tenetur iudicare secundum leges, tum quoad modum procedendi, ordinem & formam iudicii, tum quoad sententiam ferendam & exequendam, ex c. 1. *de Constit.* & ex S. Ambros. in Psal. 118. Serm. 20. *Bonus iudex nihil ex arbitrio suo facit, sed juxta leges & jura pronuntiat, scitis juris obtemperat, non indulget propriae voluntati: sicut audit, ita iudicat: & sicut se habet negotii natura, decernit. Obsequitur legibus, non adversatur: examinat causæ merita, non mutat, & ex Instit. de Officio iudic. ibi: ne aliter iudicet quam quod legibus, aut constitutionibus, aut moribus proditum est. Nam ad hoc constitutus est à Rep. vel Principe. Quare non potest quemquam condemnare inauditum & sine testibus. Clement. II. de sentent. & re iudic. nec uti potest scientia injustè & contra iuris ordinem parta, alioquin injuriam continuaret & auferet. Item nec potest secundum omnes condemnare eum, quem privatâ scientiâ scit esse nocentem, si juridicè non sit probatus reus. Quia non habet potestatem iudicandi nisi ut persona publica: ergo non potest iudicare, nisi secundum scientiam publi-*

eam, quæ habetur per testes, legitimaque instrumenta & acta.

4. Quando jus non est clarum, tenetur ferre sententiam secundum opinionem certò probabiliorem in quæstione tum juris tum facti: nam officium judicis est judicare secundum merita causæ, & sententiam quæ, inspectis allegationibus & probationibus, æquitati & juri conformior est: alioqui esset locus acceptio- ni personarum, contra scripturam & regul. 12. jur. in 6. *In judiciis non est acceptio personarum habenda.* Hinc Innoc. XI. damnavit hanc propo- sitionem. *Probabiliter judico judicem posse judicare juxta opinionem minus probabilem.* Quare ju- dex non potest ferre sententiam secundum judicium aliorum, si post diligentem & sinceram veritatis inquisitionem certus sit de ma- jore probabilitate suæ opinionis: nam tunc certus est de obligatione secundum illam ju- dicandi. *Nec in judicio, plurimorum acquiesces sententiæ, ut à vero devies.* Exod. 23. Quòd si opiniones sint æquè probabiles, & nullus ex litigantibus rem possideat, debet rem inter partes ex æquo dividere, vel ejus pretium, si dividi nequeat: nam judex non est Dominus rei, sed tenetur suum cuique jus tribuere se- cundum merita causæ: ergo cum uterque æ- quale jus habeat, debet res æqualiter eis di- stribui; aliàs esset acceptio personarum. Hinc Alex. VII. damnavit hanc propositionem. *Quando li- tigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest*

potest iudex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

Idem dic de quæstione facti, iudex enim tenetur causam adjudicare parti pro se habenti testimonia vel instrumenta, aliave argumenta probabiliora, cum jus probabilius reddant L. 21. ff. de testib. quòd si hæ probationes facti sint æquales, æquale jus fundant: ideòque æqualiter res est inter eos dividenda, si nemo eam possideat; alioqui possessori adjudicanda, cum in dubio & pari causa melior sit conditio possidentis. In causis verò criminalibus si utrimque appareat æqualis probabilitas, debet reo favere, ex Reg. 11. jur. in 6. Alioqui se exponeret periculo damnandi innocentem.

5. Tenetur lites celeriter expedire, cap. 2. de sent. & re judic. ibi: *Jurgantium controversias celeri sententiâ terminare, & æquitati convenit & rigori.* Nam partes habent jus, ut non sine justa causa differatur iudicium. Quare tenetur parti læsæ damna & impensas, quæ ex iniquâ dilatione sequuntur, compensare.

6. Debet habere rectam intentionem, scilicet justitiæ, ita ut nihil agat ex odio, invidia, aliove pravo fine: nam actio licet ex objecto bona, participat malitiam finis.

Ex dictis collige iudicem, qui in cognoscenda vel decidenda causa negligens, aut iniquus fuit, peccare mortaliter contra justitiam, & teneri ad resarcienda parti læsæ omnia damna, cum fuerit eorum causa injusta.

Q. 2.

Q. 2. An iudex potest capite condemnare eum, quem certò novit innocentem, si per testes legitime probetur reus?

Resp. I. In tali casu, ex communi, iudex tenetur omnes vias inire, quibus possit eum liberare, ut impediendo accusationem, extrahendo iudicium, remittendo causam ad Superiorem, & apud eum assumendo officium testis. &c. Quòd si his mediis non possit eum liberare, juxta multos non ei licet talem morte damnare, sed debet jurare se certò cognoscere ejus innocentiam, & potius officium dimittere & qualibet pati: quia directè innocentem occideret, & quidem ut causa principalis mandando ut occidatur, quòd est intrinsecè malum, & contra illud Exod. 23. *Insontem & justum non occides, quia aversor impium.* Enim verò intrinsecè malum est adimere alicui vitam sine auctoritate: at iudex nullam habet auctoritatem in vitam innocentis, cum hæc solius Dei dominio subjecta sit; nec resp. ipsa potest verum innocentem directè occidere, sicut potest directè bonis temporalibus spoliare, ob justam causam ad bonum commune pertinentem, quia habet dominium altum in bona subditorum, non autem in eorum vitam.

Idem dic de mutilatione: quia respub. non potest hanc pœnam innocenti inferre, non enim habet dominium vitæ & corporis suorum subditorum. Quare nec minister justitiæ potest executioni mandare sententiam
mortis

mortis vel mutilationis, quam certò scit esse iniquam: sicut enim per se malum est jubere occidi innocentem, ita & hæc jussa exequi.

Resp. II. In causis civilibus, & in iis in quibus agitur solùm de pœnis pecuniariis, ex communi iudex potest judicare secundùm allegata & probata: quia resp. habet dominium altum bonorum privatorum, vi cuius potest de illis disponere; quando bonum publicum id requirit, ut in hoc casu; ne cum populi scandalo forma seu ordo judiciorum publicorum evertatur ac impediatur; cuius quidem observatio necessaria est ad pacem & quietem reip. quippe iniqui iudices possent impunè contra allegata & probata, prætextu scientiæ privatæ, jus recusare iis quibus vellent. Deindè nemo civium meritò potest ægrè ferre aut queri sibi injuriam esse factam à iudice per talem sententiam; cum videat se ab illo juvari non posse, neque par esse ut iudex potius officium deserat quam sententiam ferat. Denique innocens potest hæc bona postea recuperare. Teneatur tamen iudex in hoc casu prius omni industriâ curare, ut falsitas detegatur, vel ut processus impediatur.

Q. 3. An peccat & tenetur ad restitutionem Iudex, qui reum condemnat ex cognitione injustè extorta?

Resp. Aff. Ita Covar. Sot. Gomez, Lessius, Sanchez, De Lugo & alii. Quia injuriam quam fecit,

fecit, notitiam injustè extorquendo, continuat hâc utendo, & dat injustè causam damni quod ex illa sequitur. Præterea confessio injustè extorta est injusta, & sic nullum dat Jus; nec ex ea procedi potest, cum injustum sit medio injusto uti.

Confessio autem criminis injustè extorquetur. 1. Si Judex reum interrogat, nullâ præcedente infamiâ, vel semi-probatione, aut sine indiciis competentibus. 2. Si tormentis vel eorum metu elicit Confessionem sine indiciis sufficientibus ad torquendum. Nec refert quòd Confessio fuerit postridie ratificata, quia cum fuerit irrita, nulla est ratificatio ex ea orta. 3. Si persona non poterat torqueri ob ætatem, vel infirmitatem, vel privilegium ac dignitatem. 4. Si dolo v.g. promissione impunitatis inductus est reus ad confitendum, nam tunc ei facta est injuria.

Q. 4. An licet Judici munera à partibus accipere?

Resp. I. Non licet Judici quidquam accipere pro ferenda sententia sive justa sive injusta. Non pro justa, quia ex Justitia eam debet, & sic venderet quod suum non est, sed quod alteri debitum est; & acciperet contra Jus, quod alter habet ut Jus suum obtineat sine suo sumptu. Ideoque sic accepta restituere tenetur, cum nullum habeat titulum retinendi, non enim hæc liberaliter & omnino voluntariè donantur, sed ad vexationem injustam redimendam.

dam. Neque pro injusta, ut patet: nam (ut ait S. August. Epist. 54.) *Cum judicia & testimonia, quæ nec iusta, & vera vendenda sunt, iniqua & falsa venduntur, multo sceleratius utique pecunia sumitur, quia sceleratè etiam quamvis à volentibus datur.* Et sic accepta restituere tenetur, quia accipiendo injustè agit contra officium; & Clerus Gallican. an. 1700. oppositum damnavit. Spectato autem solo Jure naturali, & ante omnem sententiam restitutio fieri debet ei qui dedit, juxta illud, S. August. Epist. cit. *Recipe quod mihi, dum tibi male adessem, dedisti.*

Resp. II. Neque licet Judici munera liberalia, & sponte ac sine ullo onere oblata, à partibus accipere: quia id prohibetur Jure communi humano. Laicis, l. 18. ff. de Offic. Præsid. & l. 6. ff. de Offic. Procons. & Authent. *Ut judices sine quoquo suffragio.* Ecclesiasticis verò, cap. 10. de vita & honest. & cap. 11. de rescript. in 6. Imò, ut docet De Lugo, etiam Jure naturali, si munus sit magni momenti, tum ob scandalum, tum ob periculum morale pervertendi Justitiam, quod quisque vitare tenetur: nam moraliter loquendo fieri non potest, ut ob donum illud non propendeat in favorem donantis: idque judicari debet à communiter contingentibus. Hinc illud Deut. 16. *Non accipies personam, nec munera: quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba justorum.* & Eccli 20. *dona excæcant oculos judicum.* Ad
de

de quòd dans, sæpe non det omnino sponte ac liberaliter, sed quia timet ne Judex alioqui plus faveat parti adversæ, aut moras trahat, sicque dat pro actu ex Justitia debito. Cum autem dissentiant Doctores circa obligationem restituendi ante omnem sententiam munera sponte ac liberaliter, nec ad vexationem injustam redimendam donata; Confessor debet semper judicem obligare ad talem restitutionem: tum quia fortè ad eam jam tenetur ex conscientia: tum quia tali pœna dignus est, & per eam avocandus est à relapsu.

Not. Sunt qui excipiunt leviora munuscula, in quibus corruptionis periculum abest, quæ ex urbanitate offeruntur, nec nisi quasi inurbanè recusarentur: quia cessat ratio prohibitionis: & l. 18. ff. de Offic. Praesid. & c. II. de Rescript. in 6. Judex delegatus potest recipere *esculentum vel poculentum merâ liberalitate oblatum, quod paucis consumi possit diebus.* Sed multi docent: Judices sæculares nihil omnino posse à partibus recipere, eo quòd leges digestæ, correctæ sint per Jus authenticorum, quo prohibetur judicibus universaliter munera accipere. *Auth. ut judices sine quoquo suffragio.*

Q. 5. *Quid Judici servandum circa Inquisitionem?*

Not. Triplex est inquisitio. 1. Generalis, quando in genere quaeritur an leges servantur. 2. Specialis, cum de certa persona & certo crimine

crimine inquiritur. 3. Mixta, cum inquiritur generatim de persona, & specialiter de crimine vel econtra.

Resp. I. Judex & Magistratus nullâ datâ occasione ex suo officio potest ac debet facere inquisitionem generalem, ex c. 1. *de Offic. Judic.* quia ex officio tenetur prospicere bono communi, occasiones criminum tollendo, crimina puniendo in aliorum exemplum, & aliunde nemini fit injuria.

Resp. II. Quando crimen est publicum, sed auctor ignoratur, Judex debet quærere in genere quis patravit; nam id exigit bonum publicum: alioqui scelesti homines, spe impunitatis invalescerent, & crimina multiplicarentur.

Resp. III. Non licet Judici contra aliquem facere inquisitionem specialem tendentem ad punitionem, nisi præcesserit infamia, vel semiprobatio, vel aliquid quod justam det causam, ex cap. 21. & 23. *de Accusat.* & est communis, nam per illam inquisitionem quis suspectus & infamis redderetur.

Q 6. *Quenam requiruntur ad subjiciendum
torturæ Reum?*

Resp. I. Ex communi, illæ torturæ sunt injustæ, quas sustinere est Reo moraliter loquendo impossibile, spectatis viribus & completionem. Unde non potest Judex ex confessione sic extorta procedere. Peccat etiam graviter, si non prius alias omnes mitiores detegent.

Tom. III.

K

tegent.

tegendæ veritatis vias tentet, quàm torturæ subiciat; cum hoc sit postremum medium in defectum aliorum, damnosum & valde periculofum.

Resp. II. Ad torquendum reum, qui jure non prohibetur torqueri, ex communi requiruntur probationes vel indicia de commisso gravi crimine, digno pœnâ mortis, tali medio & cruciatui congruentia; ita ut sola confessio rei ad plenam probationem deesse videatur: nam tortura instituta est ad subsidium probationis, cum argumenta & indicia sunt valde magna, necdum tamen sufficientia, ut sic plena probatio eliciatur. Porro prohibentur torqueri, nisi in criminibus exceptis, viri illustres, vel in magna dignitate constituti, Doctores, milites, senes, impuberes, prægnantes & nondum confirmatæ à partu.

Resp. III. Semel tortus, si nihil est confessus, non potest iterum torqueri, nisi nova criminis indicia superveniant, quia per torturam priora elisit. Si verò crimen in tortura fassus, extra eam revocet coram judice, repetitur tortura: quia per talem revocationem indicia non sunt elisa, & alioqui tortura semper esset inutilis. Si verò tertio tortus ac confessus, tertio retractet, absolvendus est: quia præsumendum est vi tormentorum coactam fuisse confessionem falsam. Excipiunt aliqui, nisi indicia sint gravissima, quæ violentam præsumptionem pariant crimen malitiosè à reo negari.

Q. 7.

Q. 7. An sententia Judicis obligat in conscientia?

Resp. I. Sententia justa semper per se obligat in conscientia. Est communis. quia est præceptum legitimum Superioris, & usus potestatis legitimæ, cui qui resistunt Dei ordinationi resistunt, & sic ipsi sibi damnationem acquirunt.

Resp. II. Secundum communem, sententia certò injusta per se non obligat. 1. Si constet niti falsa præsumptione, aut falsis probationibus, quamvis lata sit secundum allegata & probata: quia nulla est, cum nitatur falso fundamento, ideòque nullo: neque enim Judex habet potestatem disponendi de juribus & bonis aliorum, sed solum reddendi unicuique Jus suum, & declarandi quid cuique debitum sit. Nec bonum commune exigit, ut privati amittant reipsa Jus suum per sententiam injustam. Deinde cum sententia sit actus Justitiæ, cujus est suum cuique tribuere ad æqualitatem; non valet, nec obligat si veritati & Justitiæ non conformetur. 2. Si sit injusta ex omissione debiti ordinis Juris quoad essentialia & formæ judicialis: quia Judex non habet potestatem ferendi sententiam, nisi servato juris ordine.

Hinc qui per iniquam sententiam, quam sciebat esse injustam, accepit bona alterius, tenetur semper ea restituere, nec unquam præscribere potest: quia sunt aliena, & possessor malæ fidei nunquam præscribit: imò tenetur impensas & damna compensare. Qui verò bonâ fide aliquid accepit, per sententiam

injustam, quam putabat justam, si ante tempus præscriptioni requisitum, cognoscat fuisse injustam, restituere tenetur accepta, non tamen impensas nec fructus bona fide consumptos, saltem si iis non sit factus ditior. Quòd si ea possedit bonâ fide toto tempore ad præscribendum sufficienti, non tenetur restituere, quia legitimè præscripsit.

Sententia tamen injusta servanda est, quantum requiritur ad vitandum scandalum, perturbationem, & incommoda graviora. Nec licet per vim se defendere contra judicem & ejus Ministros, cum servatus est juris ordo: quia Judex habet Jus exequendi sententiam, quam servato juris ordine tulit. Imo nec id licet in praxi, si non servatus sit, quando inde perturbatio vel scandalum secuturum est, ut plerumque fit.

Q. 8. Ad quid tenetur judex circa pœnæ impositionem?

Resp. Ex communi, si lex pœnam imponit, tenetur Judex factâ sufficienti probatione crimen declarare, & pœnæ per legem impostæ executionem procurare: si vero lex minetur tantum pœnam, tenetur Judex eam imponere, & executioni incumbere: nam Judex est minister & executor Justitiæ à Principe vel rep. constitutus, ad curandum ut serventur leges, & puniantur crimina; unde ex officio ei incumbit custodia & executio legum & puni-
nitio

nitio criminum. Quare non potest remittere pœnam lege statutam, nisi in casibus jure expressis aut consuetudine receptis; nam inferior non potest dispensare in lege Superioris. Deinde est contra bonum commune, quòd delicta maneant impunita, aut non satis punita; nam est moralis occasio ut multiplicentur. Imo ipsi supremo Principi non licet condonare crimina, nisi aliquando ex justa causa: alioqui occasionem præberet patrandi crimina, & his cooperaretur, cum maxima peccandi illecebra sit impunitas, sicque magnum reip. damnum inferret. Judex verò nequidem potest minuere pœnam, etiamsi actor consentiat, nisi quando delinquentis ætas, infirmitas, vel modus delinquendi gravitatem criminis minuens, aut justa aliqua ratio id postulat, vel id ad bonum commune dicat epichia. Item non ei licet, saltem ordinariè, augere pœnam lege statutam; alioqui injuriam inferret reo, à quo majorem pœnam exigeret, quam ex lege deberet: nam, lex pœnam statuens eo ipso Judicis potestatem restrinxit ne graviolem imponeret. Aliquando tamen potest augere pœnam propter extraordinarias circumstantias, quæ crimen multum aggravent, ut si crudelissimo genere mortis patratum, fuisset homicidium, &c. Quia lex statuens pœnam, loquitur de delictis ordinariis, seu ordinario modo patratiss, nec excludit judicis providentiam,

tiam, quantum ad bonum commune, & aliorum exemplum necessaria est.

§. II.

De Accusatore.

Nota. Accusator & Denuntiator inter se differunt. Nam accusare est deferre crimen judici ad vindictam ob bonum commune, cum obligatione crimen probandi: denuntiare verò est deferre crimen præcipuè ad emendationem Rei, vel ob bonum commune sine obligatione illud probandi.

Q. I. An & quis tenetur accusare vel denuntiare?

Resp. Ex communi, qui ad hoc deputati sunt, vel stipendium accipiunt à rep. ut Fiscalis & Custodes ac vigiles tenentur ex Justitia deferre crimen, ac proinde ad damna ex omissione delationis secuta. Item Custodes agrorum, nemorum, &c. saltem quantum necesse est ad vitandum damnum Domini, vel illatum reparandum: nam ad id tenentur ex officio; & contractus seu quasi contractus intercedit inter eos & rep. seu communitatem ut ad id teneantur. Alii verò privati accusare seu potius denuntiare tenentur, etiam citra superioris præceptum, quando crimen est noxium reip. & adhuc pendet in futurum, vel continuandum putatur, ut hæresis, proditio, falsæ monete

monetæ fabricatio, crimen læsæ majestatis, veneficium, publicum latrocinium, &c. Nam quisque tenetur, etiam cum proprio damno, malum communitatis avertere quantum potest: pars enim tenetur etiam cum proprio detrimento prospicere incolumitati totius. Item cum id necessarium est ad avertendum grave damnum innocentis: nam charitas obligat ad impediendum grave malum innocentis, dum sine nostro gravi incommodo possumus; quamvis inde malum impendeat reo, quia innocens præferri debet reo voluntariè nocenti. *Libera eum qui injuriam patitur de manu superbi.* Eccli. 4. Nec tunc præmitti debet secreta monitio, nisi certò constet per eam malum impeditum iri. Nam in re tanti momenti eligi debet id quod tutius est bono publico vel innocenti: facile enim posset talis privatim monitus simulare poenitentiam, & occultè exequi quod statuerat; & quisque jure naturali obligatur ad defendendum innocentem ab injuria hominis nocentis, etiam cum aliquo damno nocentis, qui sibi illud imputare debet, cum aliter ejus injuria impediri nequit.

Qui crimen probare nequeunt non debent accusare: quia *ad hoc nullus tenetur quod non potest debito modo perficere*, ait S. Thom. q. 68. a. 1. Sed tunc debent ad monere eos, qui malum impendens avertere possunt: & si hæc monitio sufficiat ad impediendum damnum, non nominatâ personâ à qua illud imminet,

non liceret eam nominare: quia neminem licet sine necessitate lædere in fama aut aliis bonis, præsertim privata autoritate.

Sed si delictum sit occultum, & probari possit, sed ex eo non impendeat damnum & speretur proximus emendandus privatis monitis, & ad debitam satisfactionem inducendus; an privato licet eum accusare, non præmissâ monitione secretâ?

Resp. Juxta multos non licet: quia tunc sine justa causa infamaretur proximus, & hoc saltem repugnat charitati. Sed S. Thom. in 4. dist. 19. a. 3. q. 1. ad 4. postquam horum sententiam retulit, addit: *Vel dicendum secundum alios quod in accusatione non agitur ad emendationem peccantis, sed ad bonum commune, scilicet Justitiam conservandam per punitionem delinquentis. Et ideo accusatio in judicio bonâ conscientia potest fieri, etiamsi monitio non præcedat: nec est contra præceptum Domini, quod intelligitur, quando agitur ad emendationem peccantis.*

Q. 2. An accusator aliquando tenetur desistere ab accusatione?

Resp. Tenetur quando apprehendit accusatum esse innocentem; vel cum crimen incipit esse dubium, & tale remanet post diligentem veritatis inquisitionem; vel cum videt se probare non posse: tunc enim injuriam inferret, & pergeret in accusatione; nam quisque Jus
habet

habet ne accusetur crimine falso, aut dubio, aut etiam vero quod probari nequit, nam frustra accusaretur, & sic sine causa ei inferretur infamia.

§. III.

De Testibus.

Suppono ad legitimam & plenam in iudicio probationem regulariter requiri & sufficere duos testes, ut constat ex omnium sententia & praxi, & ex Matth. 18. *In ore duorum vel trium testium stet omne verbum.*

Dico regulariter; nam aliquando unus sufficit, ut ad impediendum Matrimonium cap. 27. *de Sponsal.* Item ad leviores pœnas, unde ex testimonio publici custodis mulctari solent furantes ligna in Sylva communi, & in Religionibus leves pœnitentiæ imponi solent ex unius testimonio: quia in iis ita expedit facere ad bonum commune. *Ita De Lugo.* Aliquando verò duo testes non sufficiunt, ut in testamentis, &c. Testes autem debent sensu externo percepisse id de quo testantur, & de eodem facto cum iisdem circumstantiis deponere, & esse omni exceptione maiores, hoc est, contra quos nihil jure opponi possit, cui non sint ad testificandum admittendi.

Sunt autem aliqui qui jure rejiciuntur, nimirum 1. Servus. 2. Mulier Jure Canonico in criminalibus, sed in Jure Civili in omni causa

K 5

admit-

admittitur. 3. Minor 20. annis in criminalibus, in civilibus autem impubes. 4. Inimicus. 5. Consanguinei, & domestici Actoris, exceptis quibusdam casibus apud Lessium. 6. Infames. 7. Perjuri. 8. Socii criminis. 9. Persona vilis & inops, de qua suspicio est facile posse corrumpi, secus si honesta sit. 10. Delirus & semi-fatuus. Ex quibus tamen ii, qui solo jure positivo sunt ad testificandum inhabiles, possunt admitti in criminibus exceptis, ut hæresi, crimine læsæ majestatis, falsæ monetæ, maleficio, furto famoso, &c. Item quando delictum est commissum eo tempore & in eo loco, ubi copia testium haberi nequit, ut in campo, sylva, cubiculo, nocturno tempore.

Q. I. An & quando quis tenetur testificari?

Resp. I. Ex communi, est obligatio sub mortali I. Cum hoc necessarium est ad averendum grave malum impendens spirituale vel temporale, publicum, vel privatum innocentis, licet id non requiratur à judice: nam tunc tenemur denuntiare, ut dixi, & charitas graviter obligat ad proximum ab injusto damno liberandum, & ad damnum injustum proximi impediendum. Ita S. Thom. 2. 2. q. 70. a. 1. addens: Si ejus testimonium non requiratur, tenetur facere quod in se est, ut veritatem denuntiet alicui, qui ad hoc possit prodesse. Dicitur enim in Ps. 81. Eripite pauperem & egenum de manu pec.

peccatoris libertate: *§* Prov. 24. Erue eos qui
 ducuntur ad mortem Super his verò quæ
 pertinent ad condemnationem alicujus, non tene-
 tur aliquis ferre testimonium, nisi cum à Superiore
 compellitur secundùm ordinem juris. Quia si cir-
 ca hoc veritas occultetur, nulli ex hoc speciale
 damnum nascitur; vel si immineat periculum ac-
 cusatori, non est curandum; quia ipse in hoc peri-
 culum spontè se ingessit. Alia autem ratio est de
 Reo, cui periculum imminet, eo nolente. Si ta-
 men Accusator ex obligatione accusarit, v. g.
 quia crimen reip. vel religioni directè perni-
 ciosum erat, qualis est hæresis, conspiratio
 contra Principem; tunc debet ejus damnum
 vera testificatione averti.

2. Posito præcepto Superioris, vel judicis;
 exceptis casibus mox dicendis. Nam omne
 præceptum justum obligat in conscientia, &
 bonum commune id exigit; alioquin enim
 crimina sæpius impunita manerent, & justitia
 non posset administrari, cum gravi reip. detri-
 mento.

Porrò juxta multos testis legitimè interro-
 gatur, ideòque tenetur testificari, quoties
 præcessit vel accusatio, vel denuntiatio, vel
 querela ab alio porrecta; nec ad hoc requiri-
 tur (licet à fortiori sufficiat) infamia delin-
 quentis aut semi-probatio, aut indicia, sicut
 requiritur ut Reus ipse legitimè interrogetur.
 Quia bonum commune postulat ut judex ha-
 beat tunc jus interrogandi: nam alioqui nun-
 quam

quam posset puniri crimen certum, cuius autor est occultus: & sic plurima crimina forent impunita, quod est contra bonum publicum. Plus autem requiritur, ut quis teneatur testari contra seipsum, quam contra alium extraneum; potestque facile haberi semi-probatio absque confessione Rei, quæ vix ac ne vix quidem habetur absque testimonio testis.

Resp. II. Etiam posito præcepto & Monitorio, non tenentur ex communi testari nec deferre. 1. Qui rem norunt ex Confessione Sacramentali. 2. Qui rem accepit sub secreto naturali, consilii vel auxilii petendi causâ, ut Advocatus, Theologus, Medicus, Obstetrix, Chirurgus, &c. Nam tunc est obligatio naturalis servandi secreti: alioqui peccatores à consilio petendo averterentur, unde desperatio & multa mala sequi possent; nec tunc est intentio iudicis ut reveles, cum bonum publicum & conservatio societatis civilis exigat secretum servari. Excipe nisi testificatio necessaria sit ad avertendum imminens grave damnum communitatis, vel privati innocentis; tunc enim teneris aperire secretum etiam iuratum, quod tunc non obligat, cum sit de re illicita. Nam quisque tenetur, saltem ex charitate, impedire grave damnum publicum, vel privatum innocentis, qui reo præferendus est. *Ita commun. cum S. Thom.* Alii autem qui delictum viderunt, vel ab aliis audierunt, & postea iurant non revelaturos, tenentur obedire

dire præcepto, etiamsi non agatur de damno aliorum avertendo: nam qui secluso juramento vel promissione tenentur revelare, ad huc tenentur non obstante juramento, quod tunc non obligat, cum sit de re illicita & contra jus Superioris. 3. Qui rem accepit à viris non fide dignis, quia hæc testificatio nullam in judicio faceret fidem. 4. Si scias alterum non peccasse mortaliter: nam mens iudicis est inquirere de delicto graviter culpabili. 5. Si ex tua testificatione tibi vel tuis immineat grave damnum, nisi bonum publicum eam exigat, vel nisi privatum damnum alienum impediendum tuo longè prævaleat; ita ut secundum regulas prudentiæ & charitatis tenearis illud subire: nam leges humanæ ordinariè non obligant cum gravi nocumento seu damno. 6. Pater, filius, maritus, uxor, fratres, sorores, consanguinei vel affines delinquentis usque ad secundum gradum iuxta aliquos, & iuxta plures usque ad quartum, ex c. *Si testes* 4. q. 3. referente Legem Jul. 4. ff. *de testib.* tum quia bonum commune requirit, ut conservetur pax, & vitentur odia ac dissensiones in familiis: tum quia ordinariè id fieri nequit sine gravi damno revelantis ob conjunctionem. Excipe semper crimina læsæ maiestatis, hæresis, veneficii, aliave quæ communitati grave damnum afferrent, nisi revelarentur.

An autem famuli ac domestici eximantur à testimonio ferendo contra Dominum, contro-

trovertitur. Sed in hoc standum est praxi fort
contentiosi, in quò si illorum exceptio non
admittatur, testari tenentur. 7. Quando per
mandatum intenditur solum emendatio rei,
vel satisfactio partis læsæ, qui novit crimen
non debet illud aperire ante præmissam moni-
tionem, nisi constet non profuturam; nam
præceptum correptionis fraternæ tunc urget;
& cum sit iuris naturalis ac divini, eius obliga-
tionem tollere nequit præceptum humanum.
Quòd si reus monitus respuit, & satisfecit,
non licet eum denuntiare. Quia diffamaretur
proximus sine iusta causa; nec Superior
censetur velle tunc revelationem, cum iam
eius intentioni satisfactum sit. Si verò iudex
intendat punitionem, iuxta multos tenetur
subditus reum patefacere etiam post eius e-
mendationem: quia bonum commune id exi-
git; alioqui enim crimina sæpe manerent im-
punita, & sic in perniciem Reip. multiplicaren-
tur. 8. Monitorium non obligat ad revela-
tionem ipsum autorem criminis, nec coope-
ratores; possunt tamen per censuras compelli
ad satisfaciendum parti læsæ.

Not. Qui intra tempus in Monitorio præ-
scriptum non revelavit, cum debuisset; pec-
cavit mortaliter, & excommunicationem la-
tam contrahit, teneturque quam primùm
commodè poterit, revelare. *Est commun.* quia
non cessat obligatio cessante termino, quando
terminus non ad finiendam obligationem, sed
ad eam

ad eam sollicitandam apponitur, quod hâc fit. Et talis adhuc manet in peccato inobedientiæ, & potest obedire præceptis: ergo tenetur.

Q. 2. *Quandonam testis peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem?*

Resp. In his casibus 1. Si affirmet ut verum id quod non certò novit. 2. Si dum testari tenetur, occultet se ne interrogetur. 3. Si iudici legitimè interroganti non obediat. 4. Si veritatem occultet c. 1. *de crim. fals.* 5. Si pro dicenda veritate pretium accipiat; non tamen pro labore itineris, impensis, vel lucro cessante. 6. Si falsum testetur, quod est grave scelus, ex Prov. 6. *Sex sunt quæ odit Dominus. . . . testem fallacem. & 21. Testis mendax peribit.* Præter perjurium peccat contra iustitiam, & tenetur resarcire omnia damna inde secuta; imò & revocare testimonium cum pari suo damno, & periculo etiam vitæ, si accusatus de ea periclitetur, & retractatio putetur profutura. Quia per injuriam est causa efficax periculi & damni alterius; & in damno æquali melior est conditio innocentis, ejusque potius habenda ratio. Hinc etiam qui alium induxit ad falsum testimonium, tenetur ex iustitia eum monere, ut illud revocet: quod si noluerit, tenetur qui induxit, rem totam aperire iudici, etiam cum periculo vitæ, si innocens illud subeat & spes sit retractationem profuturam; quia est causa injusta talis periculi & damni.

Porro

Porro testis qui bonâ fide testificatus est falsum, tenetur ex iustitia suum testimonium retractare si ex eo sequatur damnum alteri. Ita Molina, Lessius, De Lugo & alii. quia quisque tenetur ad procurandum ne ex sua actione sequatur aliis damnum injustum. Peccant similiter contra iustitiam, & tenentur de damno, qui falsa instrumenta conficiunt, aut vera adulterant, & iis ad pervertendum iudicium utuntur. Item qui aliquam scripturam, vel syngrapham aut apocham adulterat, peccat mortaliter, etiam si ista fiant ad manifestam iniuriam propulsandam & suum ius certum recipiendum: quia ista faciens decipit remp. in re gravi, ac nocet publicæ fidei: unde id graviter legibus veritum est. Hoc tamen casu non tenetur ad restitutionem, cum habeat ius certum ad rem hac via acceptam.

Q. 3. An tenetur ad restitutionem, qui à iudice etiam in generali citatus se occultat, vel testimonium fraude declinat, vel veritatem reticet?

Resp. Communior sententia asserit. Quia resp. imponit onus ac officium ferendi testimonium post citationem: & sic qui aliquid scit, tenetur ex officio sibi imposito tanquam publica quadam persona veritatem testari: sicut is quia rep. invitus constitueretur iudex, teneretur ex iustitia iudicare. Deinde lex ac iustum præceptum iudicis tribuit. Actori ac
Reo

Reo ius ad testimonium alterius, sicut sententia iusta tribuit ius ad bona alterius. Alioquin quilibet sæpe frustra ius haberet implorandi auctoritatem iudicis. Quare si testis veritatem taceat, iniuriam facit, & sic tenetur resarcire damnum inde parti læsæ secutum.

Item qui subtrahit, suppressit, lacerat, vel tradere renuit instrumenta alteri profutura ad suum ius obtinendum, tenetur damnum restituere. c. si quis 12. q. 2. etiamsi sit in favorem adversarii, ex c. 4. de test. cogend. ubi Alex. III. ait: *Quòd nemo debet adversario instrumenta subtrahere: & quòd tam ille qui subripit instrumenta, quam qui adversario parem advocacionis copiam subtrahit, iniquam ostendit à se litem foveri, & experiri debet in se iudicis auctoritatem elusam.*

Quòd si fugias vel te occultes antequam citeris ad testificandum, iuxta multos peccas etiam contra iustitiam, & teneris ad restitutionem. Sed hoc negant alii, eò quòd ius, quod oritur parti ex tuo testimonio, procedat ex solo præcepto, & præceptum non obliget antequam impositum sit: peccastamen, saltem contra charitatem, nam hæc obligat ad impediendum grave damnum iniustum proximi, cum potest impediri, saltem sine gravi nostro damno.

§. IV.

De Reo.

Q. I. **A**N Reus tenetur fateri veritatem?

Resp. I. **S**i Reus non interrogetur legitime seu iuridice, non tenetur fateri suum crimen: sed potest iudicem eludere, absque tamen mendacio. Quia iudex non habet ius interrogandi nec obligandi reum, nisi cum procedit iuridice. Ut autem interrogetur iuridice seu secundum ordinem iuris, requiritur, ut præcesserit vel infamia, vel indicia competentia, vel semi-plena probatio seu assertio unius testis omni exceptione maioris, ex c. 21. & 24. de accusat. Quamvis iuxta multos ad interrogandos testes ab accusatore productos sufficiat accusatio. Quare iudex debet Reo aperire statum causæ, probationes, indicia, testes, ut sciat se iuridice interrogari; & ut si quid contra habeat, possit opponere.

Resp. II. Reus à legitimo iudice iuridice interrogatus, tenetur sub mortali aperte veritatem & crimen suum fateri, etiam si morte plectendus sit, alioqui eam vitaturus. Ita S. Thom. 2. 2. q. 69. a. 1. Covar. Caiet. Navar. Sot. Tolet. Azor, Lessius, Sanchez, Layman, Turian. estque communis teste Delugo, contra alios docentes non teneri, si alias sit spes evadendi, secus si absit.

Prob. quia Iudex in hoc casu habet ius interrogandi, & exigendi veritatem ob bonum publicum.

publicum: ergo Reo inest obligatio eam fatendi, facitque contra ius Judicis, auctoritatem & iustitiam publicam si eam occultet: nam ius in Judicem ad interrogandum Reum, exigendamque ab eo veritatem, & obligatio in Reo ad illam clarè detegendam sunt duo correlativa, quorum unum sine alio esse nequit. Et verò si reus non teneretur veritatem fateri, non posset iuste torturis adigi ad eam confitendam, cum iniquum sit torturis compellere aliquem ad id, ad quod non tenetur. Deinde quisque sub mortali tenetur Superiori legitime præcipienti obedire in re gravi: at Judex est Superior, & legitime præcipit, dum secundum Juris ordinem interrogat reum. Unde Catech. Roman. de 8. præcepto ait. *De Reis autem & fontibus vult eos Deus verum confiteri, cum ex Judicii formula interrogantur.* Jam verò præceptum humanum justum, cui per se conjunctum est periculum mortis, obligat cum tali periculo, alioqui nunquam per se obligaret. Item Præceptum humanum obligat cum periculo vitæ, dum fit ob bonum commune grave & necessarium: bonum autem commune exigit ut crimina puniantur, & ut Reus juridicè interrogatus verum fateatur: alioqui sæpe judicia eluderentur cum magno Reip. damno, multa crimina impunita manerent, unde facile pullularent. Et discrimen est inter Reum & testem quod hic sit innocens, non ille.

L. 9

Deni-

Denique Reus non potest evadere nisi menti-
 tiendo: omne autem mendacium in iudicio
 justo circa crimen est mortale, cum sit in re
 gravi & contra iustitiam. Ille qui mentitur in
 iudicio se excusando, facit & contra dilectionem
 Dei, cuius est iudicium: & contra dilectionem
 proximi, tum ex parte iudicis, cui debitum negat;
 tum ex parte accusatoris, qui punitur, si in proba-
 tione deficiat. Unde & in Psal. 140. dicitur: ne
 declines cor meum in verba malitiæ, ad excusan-
 das excusationes in peccatis. ait S. Thom. q. 69.
 a. 1. ad 3. Adde quod à reo exigatur iura-
 mentum de dicenda veritate. Quare non
 potest absolvi Reus, nisi veritatem aperuerit
 saltem ante sententiam: nam quandiu iudici-
 um durat, censetur eadem interrogatio iudi-
 cis durare, ideóque eadem fatendæ veritatis
 obligatio. Et negatione illâ injustâ causam
 injustam tuetur. Ita communiter Doctores,
 teste Sanchez contradicente.

Imò juxta Cordub. Navar. Cabassut. & ali-
 os, etiam post sententiam mortis tenetur.
 Sed hoc alii negant; nisi necessarium sit ad a-
 vertendum grave malum publicum aut priva-
 tum, eo quod sententiâ latâ iudicium sit fini-
 tum; & finito iudicio finiatur Rei obligatio
 ad respondendum: nam cessat finis interro-
 gationis, qui est rei damnatio vel absolutio.
 Item latâ sententiâ cessat prorsus interrogatio
 iudicis; imò ipse jam non potest interroga-
 re, quippe qui functus est officio suo, exc

10. de fide. instrum. & ex l. 55. ff. de re judic. ibi: *Judex postquam semel dixit sententiam, Judex esse desinit.* Neque hæc Confessio Rei necessaria est ad securitatem conscientiae Judicum: nam si judicarunt secundum allegata & probata, securi sunt absque tali Confessione: si secus, ea nihil ipsis prodest ad solatium. Nec inde sequitur infamia judici aut aliis, cum omnibus notum sit solitos esse reos crimina negare. Reus tamen post damnationem teneatur crimen fateri, si ejus Confessionem exigeret bonum commune vel scandali amotio, vel si esset periculum nequis postea innocens eodem crimine accusaretur & damnaretur: nam charitas exigit ut proximi damnum grave impediamus cum possumus sine nostro gravi damno.

Porrò consentiunt Doctores Reum, si absolvatur, non teneri apud judicem confiteri crimen suum, sed ei sufficit Confessio Sacramentalis cum debita pœnitentia, quia jam est extra judicis potestatem.

Resp. III. Reus interrogatus tenetur etiam complices seu socios sui criminis patefacere, si contra eos stent indicia sufficientia, vel unius testimonium, aut infamia, vel si ejus crimen ex se sine sociis fieri nequeat, & bonum commune exigat ut detegantur: nam tunc legitime interrogatur de illis. Secus, si ista omnia desint, quia tunc non interrogatur legitime, ex l. ult. Cod. de Accusat. & c. 1. de Confessis.

nisi crimen exceptum sit & in publicam perniciem tendens, ut hæresis, crimen læsæ majestatis, proditio, veneficium, falsatio monetæ, vel committendum sit in privatæ personæ perniciem. Tunc enim tenetur complices patefacere, saltem quos non scit esse emendatos, alioqui non absolvendus; quia hoc saltem charitas exigit.

Resp. IV. Reus qui ad vitanda tormenta falsum crimen sibi imponit, ob quod sit morte plectendus, peccat mortaliter; quia est directè & positivè causa moralis injusta suæ mortis; cum falsâ sui infamatione directè moveat judicem ad injustam sui occisionem; estque tam sui homicida, quàm qui alteri falso testimonio mortem infert, est illius homicida: cum autem homo non sit Dominus suæ vitæ ac membrorum, ei nunquam licet dare injustè causam destructionis ejus. Quare non potest absolvi nisi dicta revocet, etiam cum periculo quævis tormenta patiendi.

Q. 2. Quando nam licet Reo appellare?

Resp. Licet, si prudenter judicet sententiam esse iniquam: vel quia est innocens, vel quia si sit nocens, damnatus est ad pœnam justo graviolem, aut non est servatus ordo iuris; nam cuique licet iustum præsidium contra iniuriam sibi quærere c. 3. *de Appellat.* At ei non licet, si putet contrarium: *cum appellationis remedium non sit ad defensionem iniquitatis, sed*

sed ad presidium innocentie institutum c. 61. de Apellat. ex Conc. Later. alioqui faceret iniuriam tum Judici, cui calumniam imponit, & cuius officium impedit, tum adversario suo, cuius iustitiam quantum potest perturbat ac impedit. Iniqua est omnis appellatio, ad quam iustitie inopia non coëgit. ait S. Bern. l. 3. de Confid. c. 2. unde iniuste appellans tenetur omni iure ad impensas litis, & alia damna adversario inde secuta.

Q. 3. Quid licitum est Reo circa pœnam & fugam?

Resp. I. Reus iuste damnatus ad mortem, quam vitare fugiendo nequit, ex communi tenetur ad locum destinatum proficisci, collum parare, manus apponere, & facere ea, quæ à Ministro Justitiæ commodè fieri nequeunt. quia hæ actiones sunt necessariae saltem moraliter ad executionem pœnæ iustæ, cum sine illis non possit saltem convenienter & commodè pœna iusta executioni mandari: unde censentur iuste præcipi à Iudice per sententiam mortis, ut convenienter exerceatur iustitia; & aliunde sunt de se indifferentes, nec ex natura sua connexæ sunt cum morte. Non licet tamen Reo exequi pœnam mortis aut mutilationis, v.g. venenum haurire, pectus gladio transfigere, suspendio se præfocare, se projicere è scala: quia se ipsum directè occideret, quod nemini licet, sicuti nec se mutilare;

re; & ista crudelitatem in seipsum sapiunt, ac repugnant Juri naturali.

Resp. II. Reo etsi verè nocenti licet ante & post sententiam fugere ad vitandam mortem, aut mutilationem, nisi se obligaverit ad permanendum. Ita commun. cum S. Thom. q. 69, a. 4. ad 2. quia non conijcitur in carcerem, ut ibi teneatur spontè remanere; nam esset nimis grave ac durum tale præceptum, ob summam hominum ad sui conservationem à natura in vitam inclinationem; nec hoc est necessarium ad bonum commune, nam potest facile aliter detineri.

Hinc regulariter licet Reo fugere ad vitandam mortem, etiamsi custos carceris grave damnum inde passurus sit; nisi juramento, aut voto, aut speciali promissione obligaverit ad permanendum; cum tunc utatur jure suo. Item licet fugere ne capiatur, vel etiam à Ministro apprehendente se excutere: non tamen vim inferre custodi vel Ministris, percutiendo, vulnerando, &c.

Resp. III. Multi, imò teste De Lugo Doctores Communiter censent Reo licere vitandæ mortis causâ carcerem effringere: quia cum fugasit ei licita, licitum est etiam medium ad id necessarium; neque in hoc resistit formaliter Judici, sed fugit periculum. Neque vim infert potestati publicæ, quia hæc non est in vinculis & lapidibus, sed in Judice & Ministris.

Ne-

Negant autem eum tunc violare jus Reip. sed præcisè utitur jure suo. Dicuntque leges id sub capitali pœna vetantes, l. i. ff. de effract. esse merè pœnales, & se habere velut vincula quæ Reum pœnarum metu continent. Unde non est punitio propriè dicta, sed modus coercendi & retinendi reum ne fugiat. Delugo verò ait eas leges quoad mortis pœnam esse iniustas.

An autem aliis liceat suppeditare Reo instrumenta ad effringendum carcerem, negant Tolet. Navar. Sot. Valent. & alii. qui tamen fatentur Reo licere effringere carcerem: quia ista suppeditare est contra bonum publicum exigens, ut custodia publica sit firma ac tuta. Affirmant Cajet. Salon. & alii. quia licet Reo consulere fugam utpotè illicitam, quidni & præbere media ad hunc finem necessaria? Item licet Reo ostendere viam & modum quo possit elabi. Ergo, &c.

Consentiunt omnes id non licere Officialibus & Ministris iustitiæ; quia agerent contra officium suum, quo tenentur diligenter Reos custodire. Negant etiam omnes teste DeLu-go, licere aliis Reum iuvare effringendo exterius carcerem seu portas, effodiendo parietes, vel alia similia faciendo: quia custodiam publicam violarent; & aliàs nihil posset esse satisfirmum ac tutum ad custodiam reorum, quod cederet in maximum Reip. detrimentum. Si enim non licet effringere portas vel

parietes domus privatæ, minùs licebit domus publicæ, per quod publica potestas offenderetur. Et quamvis id liceret Reo ipsi, propter naturale ius conservandi vitam; non tamen hoc licebit aliis, quibus id non est necessarium ad sui conservationem.

Resp. IV. Reo ad mortem justè damnato non licet resistere, nec se defendere contra Judicem vel executores sententiæ: quia resisteret potestati à Deo ordinatæ ad vindictam malorum: ideòque sibi damnationem acquireret ad *Rom. 13.* Deinde Judex ac Ministri habent Jus puniendi reum & exequendi sententiam, & sic iis resistendo fieret injuria; nec potest esse bellum ex utraque parte justum, seclusâ ignorantia invincibili. ita *S. Thom. q. 69. a. 4.* addens innocenti injustè seu contra ordinem Juris damnato licere resistere, sicut licet resistere latronibus; nisi propter scandalum vitandum, cum ex hoc aliqua gravis perturbatio timeretur.

Innocens verò damnatus per sententiam justam in foro exteriori, utpote latam secundum allegata & probata, licet carentem veritate, tenetur pœnam patienter tolerare, si non potest eam vitare sine resistantia publica & scandalo: nam semper talis resistantia est illicita, quando sententia justa est secundum allegata & probata: tunc enim Judex utitur legitime potestate legitima, cui non licet resistere; & habet Jus exequendi sententiam. Ita

Sot.

Sot. Malder. Covar. Vasquez, Sanchez, Lessius dicens esse ferè communem sententiam. Quòd si damnatus posset sine violenta resistentia & scandalo pœnam effugere, tunc non tenetur ad illam sustinendam, cum sit verè innocens.

Resp. V. Reo ad mortem damnato licet non fugere ex amore Justitiæ. Imò mortem commendo licet se Judici ultro sistere, & occasionem Justitiæ exercendæ offerre: nam sicut alteri licet suadere Judici, ut publicâ auctoritate Reo justam mortem decernat: ita & reo idem licet ad satisfaciendum Deo & Justitiæ publicæ.

Resp. VI. Ex communi, damnatus ad exilium vel ad pœnam carceris saltem non valde molesti, tenetur eo se conferre, & manere in exilio vel in carcere. Ita S. Thom. Sanchez, Suarez asserens esse communem sententiam. Et proinde non licet aliis suppeditare ei instrumenta ad effringendum carcerem. Item damnatus ad mulctam pecuniariam, tenetur eam solvere, etiam ante quam exigatur, si Judex expressè jubeat ut sine alia monitione reus eam solvat: quia hæc pœnæ non habent injustitiam nec crudelitatem ex hoc præcisè quòd à reo executioni mandentur. Reus autem tenetur per se ipsum exequi pœnam justam non nimis acerbam, ad quam à Judice damnatus est, præsertim cum talis pœna, ut est carceris, exilii, & mulctæ non egeat executione alterius; nam
quis

quisque tenetur parere justæ sententiæ & obedire Superiori justa & moraliter possibilia præcipienti.

Porro si reus ante solutam pecuniam moriatur, tenetur hæres eam solvere: nam succedit in eodem onere bonis affixo. Cum autem Jura dicunt pœnam non transire ad hæredem, loquuntur vel de pœna corporali, vel de pœna quæ nondum fuit debita vivente Reo.

Non pauci censent damnato ad triremes licere fugere, nisi data fuerit fides præsertim jurata remanendi: quia non tam damnatur ut ibi maneat, quàm ut detineatur. Et quia nimis esset grave Reum obligari in conscientia ad sponte manendum, quando fugere potest: cum in triremibus manere sit res durissima: quod extendunt ad perpetuum carcerem valde molestum. Nisi sit Religiosus, nam ex communi tenetur manere, quia ex voto obedientiæ tenetur parere Prælato in hac pœna justa ipsi præcepta.

§. V.

De Obligationibus Advocati.

Dico secundùm communem sententiam Advocatus tenetur ex Justitia 1. Habere competentem scientiam, quâ valeat sufficienter Justitiam & merita causarum secundùm Jura cognoscere & proponere; cum pro idoneo

neo Advocato se exponat & ut talis stipendia accipiat: alioquin se Committit periculo graviter nocendi aliis.

2. Suo Clienti præstare diligentiam debitam pro qualitate causæ, & fidelitatem, eique indicare causæ æquitatem vel injustitiam, probabilitatem obtinendi, & periculum eam perdendi: nam hæc omnia pertinent ad ejus officium; & stipendio conductus est, ut utiliter, justè, & diligenter negotium gerat.

3. Abstinerere se à fraudibus, falsis probationibus, convitiis & aliis injuriis contra partem adversam: nam ei faceret injuriam.

4. Non accipere ultra pretium justum, scilicet taxatum: vel si non sit, illud censetur justum, quod habetur tale judicio prudentum, spectatâ qualitate negotii, peritiâ Advocati, & labore quem impendit, ac consuetudine approbatâ; nam excessus suprâ justum pretium est injustus. Nec ei licet pacisci cum cliente de aliquota parte, si vincat, nempe ut pro pretio det, v. g. 3. vel 4. partem illius, quod ex victoria consequetur: nam hoc prohibetur, l. 53. ff. de Pact. ne Advocatus, quia sua res agitur, conetur per fas & nefas victoriam obtinere, & ne fraudibus occasio detur.

5. Non licet Advocato tueri causam, quam scit esse injustam, vel nihil fere habere probabilitatis, ita ut semper apud Judices rejiciatur: nam iniustum est iniustitiam tueri, & alios ad eam inducere. Tamen ex causis civilibus æque

que probabilibus, juxta multos, ei licet alter-
 utram tueri, modò cliens de periculo perden-
 dae litis moneatur: quia utraque pars habet
 Jus proferendi suas rationes in iudicio per se
 vel per alium, & Advocatus solum sui clientis
 jura proponit, non iudicat. Sed limito, modò
 cliens sit possessor, vel ipse Advocatus iudicet
 eam esse probabiliorem, aut saltem talem vi-
 sum iri iudicibus: nam non potest agere cau-
 sam contra possessorem, quam iudicat esse du-
 biam, & talem communiter haberi ac Judici-
 bus visum iri; quia non ei licet causam susci-
 pere nisi, quam talem esse iudicet, ut eam pos-
 sit probare Judici, & persuadere ut pro illa sen-
 tentiam ferat, hoc enim est Advocati officium:
 at tunc non potest talem iudicare causam quam
 censet esse dubiam; idque certius ac clarius
 est si causa sit contra possessorem, cum ipse
 sciat in dubio & pari causa meliorem esse con-
 ditionem possessoris, ideòque injustè eum ve-
 xatum iri.

A fortiori in causa criminali dubia non licet
 tueri partes actoris: quia hic in tali casu gravi-
 ter peccat contra reum; ergo etiam Advocatus
 cum constet in dubio reum debere absol-
 vi ideòque causam actoris esse injustam.

Item non licet suscipere causam Civilem,
 quam certò iudicat esse minùs probabilem, &
 talem visum iri Judici: nam defenderet cau-
 sam, quam magis iudicat esse injustam, quam
 justam; & induceret Judicem ad adjudican-
 dum

dum causam habenti Jus minus probabile, ideoque ad injustè judicandum, conareturque impedire ne sententia feratur in favorem ejus, cujus Jus censet esse potius ac melius, quique proinde vincere debet: quod iniquum est. Quare Advocatus antequam causam suscipiat, tenetur ejus æquitatem & probabilitatem perpendere, eamque Clienti indicare.

Hinc Advocatus peccat contra Justitiam & tenetur ad restitutionem. 1. Si cum non sit satis peritus ac idoneus, Advocati officium suscipiat. 2. Si defendat causam, quam scit esse injustam, tenetur compensare omnia damna inde secuta sive parti adversæ, sive Clienti quem non monuit de injustitia causæ ab eo ignorata; nam illorum est causa injusta, auxilium & consilium præstando pro injustitia. 3. Si quamlibet causam sine discrimine & consideratione ejus Justitiæ suscipiat, solum attendens ad formalitatem Juris, nihil expendens causæ meritum. 4. Si in progressu causæ iniquitatem deprehendens, non moneat Clientem ut desistat, nec ipse eam deserat, licet prius justam putaverit: nam aliàs scienter injustitiam tueretur. *Non debet tamen eam prodere, ut scilicet aliam partem jurvet, vel secreta suæ causæ alteri parti revelet.* ait S. Thom. q. 7. a. 3. 5. Si ob ejus imperitiam, vel negligentiam vel malitiam Clientis causâ cadat, aut indebitas impensas faciat, vel aliud damnum patiatur, exc. ult. *de injur.* nam horum damnorum est causa in-

sa in-

sa injusta, sive committendo, sive omittendo contra munus sui officii, ad quod præstandum se tacite obligavit. 6. Si periculum litis amittendæ non indicet Clienti qui eo cognito non fuisset litigaturus. 7. Si causæ expeditionem cum damno Clientis differat, postponat. 8. Si fundamenta vel secreta causæ detegat adversario. 9. Si in defendenda causa utatur aliquâ falsitate, proferendo scripturas falsas, testes falsos, adducendo leges falsas vel abrogatas, aut doctrinam reprobata, vel leges veras in falsos sensus scienter detorquendo, &c. 10. Si falsa crimina parti adversæ imponat, vel vera sed occulta ad causam non pertinentia referat, vel utatur convitiis. 11. Si accipiat pretium justo majus. 12. Si injustam transactionem suadeat. 13. Si plures causas accipiat, quam rectè expedire possit.

Not. Advocatus tenetur sub mortali in extremâ vel gravi necessitate pauperum, gratis eis patrocinari, sicut etiam Medicus, Chirurgus, & alii operam suam gratis præstare tenentur: nam quisque tenetur ex charitate proximo graviter egenti impendere subsidium necessarium, cum potest saltem sine gravi suo damno: alioqui non amat proximum sicut seipsum.

§. VI.

*De Obligationibus Referentis, Secretarii,
Notarii, Procuratoris, & Apparitoris.*

Dico ii omnes generatim tenentur fideliter ac justè exequi suum officium; & proinde scire omnia quæ ad illud spectant, debitamque diligentiam adhibere. Quòd si quid faciant vel omittant contra proprium officium, peccant contra Justitiam; ideoque tenentur resarcire damna inde aliis orta. Quæ enim sunt debita ex officio, ad aliorum commodum spectante, debentur ex Justitia, cum debeantur ex contractu implicito in assumptione officii; nam suscipiens officium, hoc ipso se obligat ad id omne, ad quod institutum est. Nec excusantur ob ignorantiam, *c. ult. de injur.* quia tenentur ex Justitia sufficientem scientiam ac peritiam habere, aut officium non assumere cum periculo damni aliorum; & *imperitia culpa adnumeratur, l. 174. ff. de Reg. Jur.*

Item peccant, & tenentur ad restitutionem, si stipendium majus eo quòd lege vel consuetudine taxatum est, accipiant: quia tunc accipiunt pretium operæ justo majus, cum pretium taxatum sit unicè justum, & consistat in indivisibili, ut patet in emptione; nec excessus spontè donatur, sed dans vult tantùm solvere justum pretium. Quòd si stipendium non fuerit taxatum, illud solùm erit justum, quod secundum communem prudentium æ-

Tom. III.

M

stima-

stimationem est æquale operæ ac obsequio præstito, nam si sit inæqualitas inter pretium & operam, jam est injustitia. Speciatim verò

1. Referens peccat si defectu studii, diligentia sufficientis malè referat, aut aliquid substantiale omittat, si conetur unius Jus magis quàm alterius exponere, &c.

2. Secretarius peccat, si Juramentum violet, si processus aut sententias diligenter non custodiat, vel partibus sine mandato Judicis ostendat; si testimonia non fideliter transcribat, &c.

3. Tabellio seu Notarius peccat, & tenetur de damno, si ignoret quæ ad suum officium pertinent; si instrumenta non rectè conficiat; si juramentum vel secretum violet; si in testimoniis testium vel dictis ac factis partium aliquid addat vel detrahat; si sincerè omnia prout se habent non scribat; si Ministro transcriptori cum erroris periculo aliquid committat; si Acta & instrumenta negligenter custodiat, cum periculo damni partium; si differat instrumentorum expeditionem, ut pecuniam extorqueat; si testamentum hominis rationis usu destituti scribat; si testes falsos admittat, si solemnitates necessarias in contractibus ex ignorantia, negligentia, vel malitia prætermittat; si conficiat instrumentum falsum, usurarium, vel injustum. Si amisso instrumento antiquo publico, vel testamento, aliud simile confingat; si testimonium aliquod necessarium

rium

rium cum alterius damno non exhibeat; si parti petenti instrumenta sua vel alia sine quibus recuperare nequit id quod sibi debetur, occultet, vel transumptum neget, &c. nam in his omnibus peccat contra officium & Justitiam, & causam damni dat.

4. Procurator peccat, si litem injustam suadeat, procuret, vel suscipiat; si suadeat Reo vel parti, ut veritatem neget; si partes ad compositionem iniquam adducat; si falsos testes inducat; differat ac protrahat causam, vel petat dilationes supervacaneas, aut non petat necessarias; si falsa vel incerta ut certa proferat; si causam primò acceptatam, primò non procuret; si nomine partis juret sine particulari ejus informatione cum periculo pejerandi; si suâ imperitiâ, vel negligentia aliave culpâ causâ sit cur lis perdat, &c. vide dicta de Advocato.

5. Apparitor peccat, si non servet jusjurandum; si accepto mandato capiendi aliquem, vel ejus bona, spe muneris monuerit, ut sibi caveat; si plura negotia expediens in eodem loco, vel eodem die, tantumdem pro singulis exigat, quantum pro diversis itineribus vel pro diversorum dierum expeditionibus acciperet; si lustrans domos asperius agat, ut aliquod munus extorqueat; si vim injustam aut aliam injuriam inferat, &c.